



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab initio Pontificatus usque ad  
Annum 1746

**Luxemburgi, 1752**

XXXII. Erectio sex Officiorum Ecclesiasticorum in Ordine Equestri Sancti  
Georgii Martyris in Bavaria, auctoritate Apostolica confirmatur. 6. Octobris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74696](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74696)



Salvis Constitutionibus super Ritibus aliarum Nationum editis.

Et facultatibus ejusdem Congregationis.

Clauſula pro Decretorum obſervantia, ſublata &c.

Derogationes.

Reliquorum Dubiorum Declaratio differtur.

Fides Tranſumptis habenda.

Dat. die 1. Sept. 1741.

XXXII.

Prooemium.

Decreta, Ordinationes, & Canones, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus; ita tamen, quod per nostram praedictae Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur Constitutionibus Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, & Decretis Conciliorum Generalium super Ritibus caeterarum quarumcumque Nationum, si ve specialiter, si ve generaliter factis, quae, non obstante hujusmodi confirmatione, in suo robore permanere debeant; ac salva semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis Propaganda Fidei, Nobis tamen, ac Successoribus nostris Romanis Pontificibus, toties, quoties opus fuerit, super praemissis omnibus prius consultis.

§. 10. Decernentes easdem praesentes Literas, ac Synodum, in eaque edita Statuta, Ordinationes, Decreta, & Canones hujusmodi, semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcussè observari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, definiri, atque interpretari debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, si ve Patriarcha, Archiepiscopis, & Episcopis Nationis Maronitarum, tam singulatim, quam una infimul convenientibus, si ve Apostolicis Operariis, qui ab eadem Congregatione ad quascumque Orbis Terrarum partes mittuntur, quavis auctoritate, etiam per hanc Sanctam Sedem concessa, nisi expressa quoad Synodum hujusmodi à Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus data fuerit facultas, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis omnibus, & Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Caeterum quidquid quoad omnia, & singula dubia antedicta, aliaque quaecumque pro totius Nationis Maronitarum splendore, utilitate, pace, ac concordia proficuum, ac salutare fore noverimus, per alias nostras in simili forma Brevis Literas cumulate declarabimus.

§. 12. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum tranſumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die prima Septembris 1741. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Cardinalis Passioneus.

Erectio sex Officiorum Ecclesiasticorum in Ordine Equestri S. Georgii Martyris in Bavaria, auctoritate Apostolica confirmatur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

MILITARES Equestres Ordines, ad Orthodoxae Religionis praesidium, & firmissimum adversus Infidelium, Turcarum, & Aetholicorum insultus propugnaculum, à Regibus, & Summis Principibus institutos, in quibus Equites Milites praecleara nobilitate, spectata virtute,

prudencia, ac pietate praediti adscriberentur, tam ipsi Reges, & Summi Principes, quam Romani Pontifices Praedecessores nostri certatim insignibus honoribus; prerogativis, beneficiis, commendis, ac privilegiis augere, & cumulare studuerunt, ut unusquisque Equitum Militum ad injunctum sibi muneris sui ministerium accuratissime obeundum magis, magisque incitaretur.

§. 1. Quoniam autem, sicut Nobis nuper pro parte Dilecti Filii Nobilis Viri Caroli Alberti Ducis Bavariae, & Sacri Romani Imperii Electoris expositum fuit, ipse, ut eximiis bon. mem. Maximiliani Emmanuelis parentis sui, belli, pacisque laudibus, dum viveret, florentissimi, & Sacrosanctae Religionis studio cum primis flagrantis, qui Equestrem Militiae Ordinem in honorem Intemeratae Deiparae Virginis Mariae, sub invocatione, & protectione Beati Georgii Martyris erigere constituerat, etsi propter varios bellorum eventus executioni demandare non potuit, eidem tamen Alberto Carolo in supremis tabulis commendavit, votis, ac mandatis obsecundaret, suaeque pietati faceret satis, eundem Militarem Equestrem Ordinem non solum instituit, verum etiam Apostolica auctoritate confirmandum curavit à fel. record. Benedicto Papa XIII. Praedecessore Nostro per Apostolicas ejusdem Benedicti sub plumbo literas Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo octavo XV. Kalendas Aprilis, Pontificatus sui Anno Quinto datas, quarum tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, & in quibus de Ordinis hujusmodi institutione, & confirmatione uberius continetur. Ut autem eundem Ordinem, cujus laudatus Carolus Albertus Dux & Elector, Institutor, ac Magnus Magister existit, & cui quamplurimi Nobiles Viri nomen dederunt, majori decore, & incremento adaugeat, pro singulari sua pietate, & avita erga res Sacras reverentia, sex Nobiles Viros in Ecclesiastica Dignitate constitutos, prout infra, in Ordinem hujusmodi cooptare desiderans, in Capitulo Militum Equitum memorati Ordinis ad antedictum effectum habito, unanimi omnium suffragantium consensu, decretum voluit, ut iidem sex Nobiles Viri Ecclesiastici, si Nostrium hac in re Apostolicum beneplacitum accederet, adlegerentur.

§. 2. Praecipuus verò ejusdem Caroli Alberti in ea sententia finis in hoc vertitur, ut, ad majorem Dei gloriam, & Ordinis splendorem, Sacra Officia, quae in Ecclesia dicti Ordinis pro tempore obeunda sunt, quam maxima potest majestate, ac dignitate peragantur. Horum itaque sex Virorum Nobilium Equitum Ecclesiasticorum primum quidem exoptat Episcopali Dignitate, & Characterem, ut Pontificalia munera in Ordinis praefati Ecclesia sub invocatione Sancti Georgii Martyris Deo dicata, quae in Ducalibus & Electoralibus Aedibus posita, & ab omni Ordinarii Episcopi loci jurisdictione immunis, & exempta est, exercere valeat, insigniri; alterum verò cum Praepositi nomine, & Pontificalium usu constitui, ut vices Antistitis, hoc absente, vel legitime impedito, expleat; tertium, ac quartum Decanorum itidem nominibus dici, qui Divinis Officiis, si ve Horis Canonicis, cum aliorum Militum Equitum interventu, in dicta Ecclesia persolvendis in Choro intersint; quintum, ac sextum denique Eleemosynarios ab honore appellari, à quibus Decanorum munera, ipsis absentibus pariter, aut legitime impeditis praesententur. Porro pro congruenti, idoneoque antedictorum in suis respective Dignitatibus, & muneribus debito cum decore sustinendis emolumento, idem Carolus Albertus Dux & Elector primos duos, nempe Episcopum, & Praepositum pro tempore ex-

Ordo S. Georgii a Duce Bavariae institutus.

A Benedicto XIII. confirmatur.

Erectio sex Officiorum Ecclesiasticorum.

Eorum munera.

Emolumenta.

stentes,



Insignia.

stentes, ad Præposituras, ad quas quemlibet nominandi sibi jus, cui non est in aliquo hæcenus derogatum, competit; nominabit; duobus Decanis Collegiales Præbendas conferet; reliquis duobus ab honore Eleemosynariis, servata an'ianitatis regula, eas, quibus alii Milites Equites donantur, commendas, pensiones, & beneficia impertietur. Quo autem debitus honor, auctoritas, & reverentia Episcopo, & Præposito pro tempore existentibus concilietur, uterque Magnam Crucem cum Stella super Pallio, & Vestibus; Decani, ad instar Equitum Commendatariorum, Mediam, & Eleemosynarii Parvam eandem prorsus, è collo vitæ ferica cærulei coloris pendentem, quam cæteri Equites ferre solent, Crucem gestare teneantur. Quæ quidem omnia, ut præmittitur, per ipsum Carolum Albertum, in Capitulo cum unanimi Equitum Militum consensu statuta, & decreta, ut debite executioni demandentur, & imposterum firmius subsistant, ac servantur exactius, ejusdem Caroli Alberti nomine Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, & de benignitate Apostolica indulgere dignaremur.

Confirmatio Apostolica.

§. 3. Nos igitur ipsum Carolum Albertum Ducem, Electorem, & Ordinis præfati Institutorem, ac Magnum Magistrum, de Catholica Religione, atque Apostolica hac Sancta Sede præclare mereri pergentem, specialibus gratiarum favoribus prosequi volentes, eumque à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi Nobis ejusdem nomine porrectis inclinatis, præmissa omnia, & singula, tenore præsentium, Apostolica auctoritate approbamus, indulgemus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervernerint, supplemus, & sanamus.

Clausula, & Derogationes.

§. 4. Decernentes eandem præsentem literas, & in eis contenta quæcumque, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Militaris Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Forma jurandi ab Ecclesiasticis præstanti.

§. 5. Cæterum earumdem præsentium tenore, ac pari auctoritate volumus, & mandamus, primum, ut Episcopus, Præpositus, Decani,

& Eleemosynarii pro tempore existentes, quippe qui Ecclesiastici Ordinis, cum in Militarem Equestrem Ordinem præfatum cooptari contingerit, votum seu jusjurandum, scilicet ut prompti semper, & quacumque oblata occasione parati sint, Sanctam Fidem Catholicam, & Apostolicam Romanam, ejusque propagationem, honoremque Deiparæ Virginis, sanguine ipso impavide contra quoscumque palam tueri, & defendere, ita concipiant, ut nullo unquam tempore iidem ad apertum bellum quibuscumque inferendum, inconsulta Apostolica hac Sancta Sede, & nonnisi de expressa ejusdem Sedis toties, quoties opus fuerit, pro eorum singulis impetranda licentia accedere teneantur; ac propterea hoc ipsum sibi in emittendo voto, ac jurejurando dicendo, expresse caveant; aliter nullum sit, & inane, ac nullius prorsus roboris, ac momenti.

Pontificalia quatenus ipsi liceat exercere.

§. 6. Deinde, ut Episcopus, & Præpositus, qui Pontificalia, ut præmittitur, sive statis, sive indictis solemnitatibus, aliisque diebus exercere, non nisi in ipsa dumtaxat Ecclesia in Ædibus Ducalibus & Electoralibus sita, & Militum Equitum dicti Ordinis Conventui assignata, quæ ab omni Ordinarii Episcopi Loci jurisdictione, ut asseritur, immunis est, atque exempta, obire debeant: in quacumque enim alia Ecclesia Pontificalia hujusmodi qualibet de de causa exerceri contigerit, nullo pacto, nisi de Ordinarii Locorum permisso, toties, quoties occasio postulaverit, sub penis juxta Canonicas sanctiones inflictis fieri liceat.

Episcopi nominatio conceditur Duci Magno Magistro.

§. 7. Tertium, ut cum Episcopus hujusmodi viam universæ carnis ingressus fuerit, idem Dux Elector, ac Ordinis præfati Magnus Magister Virum pietate, ac doctrina insignem, toties quoties id acciderit, nominet, qui, postquam omnia, & singula de more, institutoque Majorum servanda in Antistitum, sive Residentialium, sive Titularium, ut dicitur, inauguratione, fuerint confecta, & omnino servata, ac dignus ea dignitate repertus fuerit, in Episcopum inauguretur.

Dat. die 6. Oct. 1741.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diocesis sub Annulo Piscatoris die VI. Octobris MDCCXLI. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Cardinalis Passionensis.

Causarum Matrimonialium judicia coram quibus, & quo ordine, ac forma peragenda sint, constituitur.

XXXIII.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

DEI miseratione, cujus judicia incomprehensibilia sunt, & via investigabiles, in suprema Ecclesiæ specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum Pastoralis officii munus pertinere dignoscimus, subnascentes ex infernalis hostis astutia, & hominum malitia, abusus, quibus & animarum salutis pernicies, & Sacramentis Ecclesiæ injuria inferitur, radicitus evellere, & potestatis Nobis desuper tradita operam interponere, ut & humana cohibeatur temeritas, & veneranda Divinæ Legis servetur auctoritas.

Procemium.

§. 1. Siquidem Matrimonii fœdus a Deo institutum, quod, & quatenus naturæ officium est, pro educandæ proles studio, aliisque Matrimonii bonis servandis, perpetuum, & indissolubile esse convenit; & quatenus est Catholice Ecclesiæ Sacramentum, humana præsumptione

Matrimonium jure naturali, & Divino indissolubile.

dissolvi